FRANCISCI M. AVELLINII

IN ARIADNES

AVGVSTAE

NVMVM AVREVM ANECDOTVM

COMMENTARIVS



NEAPOLI · CIↃIↃCCCIII

Ex officina MORELLIANA

Publica auctoritate

HORATIVS

Lib. I. Ep. 6.

. . . . . . *Si quid novisti rectius istis,*

Candidus imperti; si non, his utere mecum.

EXCELLENTISSIMO. ET. REVERENDISSIMO. DOMINO

FR · AVGVSTINO · GERVASIO

EX . EREMITANA . FAMILIA . S. AVGVSTINI

CAMPANORVM . PONTIFICI

REGIO . SACELLO

REGIAEQVE . STVDIORVM . VNIVERSITATI . PRAEFECTO

QVI

LVCVLENTISSIMO . SIBI . PROPOSITO . EXEMPLO

ONVPHRII . PANVINII . ET . HENRICI . NORISII

EX . EADEM . FAMILIA

CVM . SACRAE . THEOLOGIAE

ECCLESIASTICAEQVE . HISTORIAE . STVDIIS

SANE . QVAM . OPEROSIS

AMOENISSIMVM . ILLVD . VETERVM . NVMISMATVM .

FOEDERE . QVIDEM . AMICO . COPVLAVIT

FRANCISCVS . M . AVELLINIVS

COMMENTARIOLVM

IN . AVREVM . ARIADNES . AVGVSTAE . NVMVM

NEMINI . ANTEA . VISVM

EX . ILLIVS . DITISSIMA . GAZA . DEPROMTVM

CLIENS . PATRONO . DAT . DONAT . DEDICAT

OBSEQVENTIS . ANIMI . SVI

PIGNVS . ET . MONVMENTVM

L. S.

CVm paucis abhinc mensibus numophilacium pervolutarem, quod magna cura comparavit Excell. Vir Fr. AVGVSTINVS GERVASIVS Campanae Ecclesiae Archiepiscopus; occurrit mihi Ariadnes Augustae numisma aureum, elegans sane, atque insigne ob singularem ejus raritatem. Quod ubi inspexi, atque ἀνέκδοτον plane esse intellexi, venit in animum publici juris facere, non quo in hoc mea considerem doctrina, sed ne diutius tam singulare numisma delitesceret. Occasione autem data, quaedam quoque ad eam numismatices rationem pertinentia adnotare placuit, ut de Aeliae appellatione, de nomine Augustae, βασιλίδος, & δεσποίνης, de capitum Augustarum ornamento, paludamentoque, de litteris CONOB, aliisque. Omnia igitur aequi boni facias, candidissime Lector, & qua praeditus es benignitate, commentariolum hunc primum meum in re numismatica specimen complectaris, velim. Vale.

Adm. Rev. Dominus D. Franciscus Vela S. Th. Prof. perlegat autographum operis superius enunciati, & in scripto referat. Die 25. mensis Januarii 1804.

D. PESCE V.G.
F. Rossi Can. Dep.

TE jubente, Eminentissime Princeps, *in numum aureum anecdotum Ariadnes Augustae commentarium* perlegi, in quo non modo nihil offendi, quod ad Fidei Catholicae, & ad morum perniciem trahi possit; sed magna perinde laetitia, atque animi mei voluptate admiratus sum, adolescentulum in tenera aetate tanta styli majestate, nitidissima sermonis puritate, verborum elocutione in tot rerum varietate perscripsisse, ut exquisitis tum veterum, tum recentiorum sententiis, acutisque dictis caeteris aequalibus, quod imitentur, proposuerit. Quare cum nihil sit a recta Fide devium, aut a bonis moribus dissonum, illum ut luce, atque aeternitate dignissimum formis litterariis consignati publicum decus censeo, si ita Tibi, ad quem pertinet, videbitur. Datum Neapoli Kal. Martiis An. 1804.

Em. Tuae

Humill. atq. obsequentiss. Servus
Franciscus Vela.

Visa relatione Domini Revisoris imprimatur. Die 20. mensis Martii 1804.

D. PESCE V.G.
F. Rossi Can. Dep.

V. J. D. D. Dominicus Sarno perlegat, & in scriptis referat. Neapoli die XXVII. mensis Januarii 1804.

F.A. Cap. Major.

Excellentiss., ac Reverendiss. Praesul.

TAnti est *in numum aureum anecdotum Ariadnes Augustae commentarius*, ut nil mihi negotii sit, quin libere dicam, Campanum

an-

auctorem, qui edendum adgreditur, hereditario veluti iure Cl. Mazochio concivi suo in antiquitatibus illustrandis successisse. Decretorio legenti cuique argumento sunt critica temporum inquisitio, quibus varia monetae cudendae ratio figitur, penitioris eruditionis copia, qua vetustissima quaeque enucleantur, & grave scribendi genus, quo perspicuitati neutiquam derogatur. Ego vero, qui in civili patrioque iure comparando inter auditores meos splendescere gaudeo, ubi vel iuratus testor, & ingenio, & quaesitis litteris hac procedente aetate, qua vix aegreque ex ephebis excessit, quam maxime florere, ratum certumque habeo, tempus haud multum elabi, quo inter litteratorum hominum principes praedicetur. Quumque tandem nihil in commentario occurrat, quod Regiis iuribus, aut bonis moribus adversetur, in lucem prodire volens lubensque sentio. Datum Neapoli XV. Kalen. Martii an. CIↃIↃCCCIV.

Tibi, tuoque nomini

Dicatissimus famulus
Dominicus Sarnus.

Visis, Relatione Regii Revisoris D. Dominici Sarno, approbatione Reverendi Regii Cappellani Majoris, Consultatione Regalis Cameræ S. Claræ, ac Regali Rescripto de die 7. currentis mensis, & anni.
Die 11. mensis Aprilis 1804. Neapoli.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Regii Revisoris. Verum non publicetur, nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat, servata forma Regalium Ordinum; ac etiam in publicatione servetur Regia Pragm. Hoc suum

MASCARO. CIANCIVLLI.

Reg. fol. 44. *V. A. R. C.*

Izzo Cancell.

Illustris Marchio de IORIO Præs. S.R.C., & cæteri Spect. Aular. Præf., tempore subscript. impediti.

Reg. fol. 15. a t.
Lama.

ERRATA		*sic*	CORRIGE
Pag.4.	lin.24. cepit		coepit
25.	5. commune		communem
27.	15. *cultus*		*positus*
29.	4. ne		vel
40.	9. *Neptuno*		*Cibelae*
ib.	21. *inflectitur*		*intraflectitur*

IN

I N

NVMVM AVREVM ANECDOTVM

ARIADNES AVGVSTAE

COMMENTARIVS

CAPVT I.

De Ariadne.

AElia Ariadne Augusta, cujus facta, ut facilius ad numi ejus anecdoti explicationem accedere possim, initio hic breviter duxi commemoranda, Zenonis & deinde Anastasii Augustorum conjux, utriusque fortunae varietate, & facinorum rerumque gestarum magnitudine inter alias Byzantinas Principes feminas singulari modo emicuit. Patre usa est Leone primo Augusto, cognomento Magno, genere Thrace, ad Imperium evecto, postquam excessit e vivis Marcianus Augustus; Matre vero Aelia Verina Basilisci Patricii Constantinopolitani filia. Duxerat hanc Leo cum esset privatus, ex eaque binas susceperat natas, Ariadnen alteram, antequam Imperium adipisceretur, Leontiam alteram, Imperio jam obtento (*a*).

Hoc

(a) Theoph. Chronog. in Coll. hist. Byz. Venet. edita T. 6. p. 87.

Hoc adeptus anno post Chr. natum 450., de Ariadne collocanda in matrimonium cogitavit. Itaque si fides Theophani, & Cedreno (*a*) habenda, anno Imperii sui secundo post Christ. 451. eam Zenoni, Isauro junxit, quem Tarasicodisam ante appellatum noscimus (*b*). Ex hoc autem matrimonio duos filios natos comperimus, Leonem alterum, qui Leoni Magno in Imperium successit, de quo infra; alterum vero, & hunc flagitiis, non secus ac pater, inquinatum, ipsi patri praemortuum.

Duodevicesimo Imperii anno, Leo Magnus morti proximus Leonem hunc Zenonis, & Ariadnes filium corona redimitum Augustum renunciavit (*c*). Ac dein eo mortuo, hic ad Imperium cum patre suo Zenone successit (*d*). Sed propter salutis imbecillitatem vix per annum Imperium retinens, Zenoni patri integre administrandum concessit (*e*). Quod ex historicis praecipue Ariadnes matris suae impulsu, necnon aviae Verinae fecisse cognoscimus (*f*). Hinc pater, Ariadnes cum Zenone nuptias nonnisi in secundum Leonis Magni Imperii an-

(a) THEOPH. Chronog. l. c. p. 76. & CEDREN. ib. T. 7. p. 275.

(b) CANDIDI ISAVRI excerpta ib. Tom. 1. pag. 155.

(c) THEOPH. l. c. pag. 82.

(d) Fidem de hoc faciunt nummi apud Mediobarbum, & alios, qui Leonis hujus, & Zenonis nomina conjungunt.

(e) CHRON. PASCH. ibid. Tom. 4. pag. 258. THEOPH. l. c. pag. 83. ait decem menses imperasse, mox, cum Consulis more procederet, mortuum.

(f) CHRON. PASCH. l. c. Ο Λεων υποβληθεις υπο της ιδιας αυτου μητρος της ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΗΣ Αριαδνης .... εστεψεν στεφανον βασιλικον επι την κεφαλην του αυτου Ζηνωνος. *Leo monitus a sua ipsius matre Illustrissima*

annum incidisse: si enim eas sublato Aspare, & filio, ut alii scribunt, admittamus, adeo puerulus fuisset Leo, ut nec corona se denudare, nec illam Zenoni tradere ullo modo potuisset.

Zeno vero, nec ita multo post, cum ob foeda ejus vitia Verinam Augustam a se abalienasset, haec fratrem suum Basiliscum, ipso ejecto, Imperatorem Constantinopoli renunciavit (a). Sed per Basilisci flagitia Imperio deturpato, ipsa Zenonem in Patria delitescentem satius duxit revocare, atque in Imperium restituere. Ducto igitur in partes suas fratre Armato, Zenonem ad depellendum Basiliscum impulit. Tum contra hunc Zeno Ar-

a 2 ma-

sima Ariadne . . . . imposuit coronam regiam capiti ipsius Zenonis. Nomen hoc ἐπιφανοῦς Illustris, & ἐπιφανεστάτου Illustrissimi, Numinibus etiam tributum est. Notus lapis Calatinus apud Cl. Ignarra in Palaestra Neapol. pag. 235. not. 4.

ΗΒΩΝΗ (sic). ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ. ΘΕΩ

ΤΑΓΜΑ. ΚΑΙ. ΛΑΟΣ. ΚΑΛΑΤΙΝΟΣ

Heboni Illustrissimo Deo, Ordo, & Populus Calatinus.

Regum Syriae dehinc vulgare evasit cognomen. Apud hos tantum Scriptores Augustis tribuitur; numi enim Graeci nunquam (quod sciam) hoc titulo Imperatores donant. Graecos dixi: nam Latini Augustorum *nobilitatem* crepant, quae ἐπιφανής apprime respondet. Reges etiam Francorum *Viri Illustris* titulum capiunt non semel in diplomatis, quae refert Mabillonius Tom. I. pag. 395. seqq. nuperae edit. Neap. Piaculum vero nunc facies, ni titulum hunc, qui Deos, Augustos, Reges decuit, tribuas aliis infimae sortis. Audi de eodem in *dominationis* titulo querentem Tanaquill. Fabri in not. ad Eutropii praefat.

(a) Theoph. l. c. pag. 83.

matum misit, qui ad altaria confugientem cepit (*a*). Zenonis fortunae comes semper fuit Ariadne, quae, Imperium Basilisco occupante, ejus maritum Constantinopoli discedere coactum in Isauriam secuta est, *matrem suam fugiens*, ut habet Chronici Paschalis auctor (*b*). Est tamen Theophanes, qui in Chronographia (*c*) disertis verbis ait, Zenonem cum Ariadne sua in Syriam fugisse, in oppidum quoddam munitissimum Varam nomine; deinde comitante item Ariadne, Thessaedam se recepisse. Quum vero Basiliscus interemtus fuit, Imperio recepto, Ariadne iterum cum Zenone Constantinopolim rediit, urbem βασιλεύουσαν, ut Graecula assentatione eam vocavit Theophanes (*d*).

Facta tum magna status mutatio, non item morum: Nam Zeno ad pristina vitia animum revocavit; ac primum Armatum Basilisci fratrem praecipuum auctorem ejus restitutionis obtruncat, ea mente, ne ille fraterna motus pietate ipsi strueret insidias. Idem quoque de Armati filio Basilisco, quem Caesarem renunciaverat, fecisset, nisi Ariadne consobrinum miserata, pro eo intercessisset. Quare ejus precibus Basiliscum inultum dimisit Zeno (*e*).

His flagitiis iterum ab eo desciscere suorum animus cepit. Quare Zenonis jura ad Imperium labefactare cu-

piens

(a) L. c. pag. 85.
(b) L. c. pag. 259. PROCOP. de bell. Vand. lib. 1. cap. 7.
(c) L. c. pag. 83.
(d) Ib. pag. 85.
(e) Ib. pag. 86.

piens Marcianus Anthemii Imperatoris Occidentis filius, arma contra eum sumsit. Hic cum Leontiam Ariadnes sororem uxorem duxisset, meliori jure ad se Imperium spectare dictitabat, quam ad Zenonem, qui Ariadnes vir erat: Leontia enim, ut supra diximus, ex Leone Augusto jam renunciato nata erat; Ariadne non item. Sed armis superior Zeno jura sua, & Ariadnes uxoris vindicavit (*a*).

Cum autem Verina Augusta Zenoni iterum irata, ubi Leontium Syriae praesidem Augustum esse jussit, ab eodem Zenone capta fuisset, atque in Papurium castellum deportata; hanc sortis vicissitudinem iniquo animo ferens, missis ad Ariadnen literis, filiam precata est, ut ab exilio revocaretur. Ariadne vero cum Zenonem, ut matrem restitueret, rogasset, Hillo Zeno dedit, ut de hac re cognosceret. At de Hillo minus honorifice eam allocuto cum Zenone graviter ipsa conquesta, palatio excedere minabatur, si ille ibidem maneret. Tum Zeno, ne discederet, jussit, ac quidquid vellet ipsa, in Hillum facere permisit. Incitata igitur mulier ira, Urbicio Cubiculario, ut Hillo mortem inferret, mandavit: qui ad hoc facinus hortatus est Spanicium Scholarium. Hic Hillum cochleam Circi ascendentem necare tentans, auriculam ei tantum amputavit; sicque Hillus a majori periculo liber evasit (*b*). Verina autem, etsi Ariadne pro ea intercessisset, veniam a Ze-

(a) Theoph. Chronog. p. 87. (b) Ib. pag. 87. seq.

a Zenone nunquam obtinuit: sed, cum Leontium ad Imperium occupandum incitasset, mortua est; ejusque corpus aliquot post annos Ariadne Byzantium transferri curavit (*a*).

Hac mariti duritie, flagitiisque, magisque amore erga Anastasium commota Ariadne, adeo eum abhorrere coepit, ut ejus mortem quam flagrantissime cuperet. Interim Zeno morbo comitiali correptus, cum mortuus crederetur, fuit vivus elatus, cui vociferanti, & petenti, ut sepulcrum aperiretur; se enim in monasterium detrusum reliquum vitae curriculum acturum; a militibus ad sepulcri custodiam stantibus Ariadnes jussu responsum; *alium imperare*. Sic ille caligis, lacertisque voratis, uxoris scelere misere periit (*b*). Sunt tamen, inter quos Chronici Paschalis auctor recensendus (*c*), qui ab hoc facinore Ariadnen exsolvunt, & Zenonem fluxu sanguinis correptum diem obiisse supremum dicunt.

Zenone autem e vivis sublato, Ariadne curavit, ut ab Imperio excluderetur Longinus Zenonis frater, quem ex captivitate redemtum, post alterius filii sui mortem, Caesarem Zeno renunciarat, sibique successorem elegerat. Hoc excluso (*d*), facile fuit Ariadnes favore Anastasio, ut Imperium assequeretur. Quo statim obtento, in eo prae-

(a) L. c. pag. 89.
(b) CEDREN. l. c.
(c) L. c. pag. 262: Δυσεντερίᾳ ληφθεὶς Ζήνων τελευτᾷ. *Dysenteria correptus Zeno periit*.
(d) THEOPH. l. c. pag. 93.

praecipue adlaboravit Ariadne, & cum ea Senatus, ut Chalcedonense Concilium ab eo reciperetur (*a*). Quod cum iis, non secus ac in votis erat, accidisset, vix luctu transacto, nuptias cum Anastasio Ariadne celebravit (*b*). Natos autem ex eo matrimonio non suscepit.

Res gestas Anastasii fusiori calamo prosequuntur historiae Byzantinae scriptores. Notum est, principio hunc Religioni Orthodoxae favisse, in pejus postea mutatum acre ei bellum indixisse, ac perfricta fronte Chalcedonensi Concilio, quod antea receperat, refragari ausum esse, ita ut a Symmacho Rom. Pontifice a fidelium communione expelleretur, omnium, qui hanc passi sunt ignominiam, Imperantium primus. Haec omnia aegre Ariadnen ferre ex hoc colligimus, quod post tumultum excitum Religionis caussa, quo populus Vitalianum Imperatorem ingenti omnium clamore, atque assensu appellavit, ipsa cum eo de malis, quibus Christianos afficiebat, usa etiam conviciis conquesta sit (*c*). Quare potius Ariadnem Orthodoxae fidei a Chalcedonensi Concilio expositae adstrictam, quam novatoribus faventem dixeris.

Praemoritur autem Anastasio anno aerae nostrae 508 (*d*), ejus Imperii 25 (*e*).

CA-

(a) Theoph. l. c.
(b) Theoph. l. c. Chron. Pascal l. c. pag. 262.
(c) Theoph. l. c.
(d) Theoph. l. c. pag. 111.
(e) Cedren. l. c. pag. 285.

CAPVT II.

De numo Ariadnes Goltziano.

De omnium pene hujus aevi Augustarum numis nihil est, quod dubitemus. Ipsa immo Aelia Zenonis Basilisci uxor nota nobis est ex RRRR. aureo numo musei Boncompagnii (*a*). De Ariadnes vero numis numismatologi omnes silent, praeter Goltzium, & qui hunc secuti sunt auctorem. Protulit ille jejunam ἐπιγραφὴν FL. ARIADNES AVG. quam postea suis catalogis inseruere Adolphus Occo, Franciscus Mediobarbus (*b*), Anselmus Bandurius (*c*), & novissime in Lexico suo Jo. Christophorus Rasche (*d*). Quotquot autem numorum veterum catalogos etsi accuratissimos texunt, de Ariadnes numis omnino, quod sciam, silent. Immo qui numum illum Goltzianum catalogis suis excepere, exiguam, atque adeo nullam ei fidem praestitere. Ne verbum quidem ad ejus αὐθεντίαν confirmandam addidere, citatoq. Goltzio, fidem suam ei remisisse videntur. Occurrunt autem, non infimi nominis Viri, qui Goltzianum illum prorsus rejecere. Baro Bimar-

(a) Vaill. Praest. T. 3. p. 294. Vide quoque Taninium in Suppl. ad Bandurium.

(b) Ed. Mediol. 1730. p. 557.

(c) Tom. 2. pag. 615.

(d) Lex. voce *Ariadna* T. 1. part. 1. pag. 1086. seq.

mardius de la Bastie in indice a se concinnato Imperatorum, Augustarum, Caesarum, &c. qui in numis occurrunt, Ariadnen non inseruit. Item Romanus Vaillantii editor (*a*), & Zacharias (*b*), qui Catalogum eumdem iterum dedere. Cl. vero P. e S. J. Josephus Khellius in Augustarum, quae numis penitus carent, indice, recensuit quoque *Anastasii*, *&* *Zenonis Ariadnen*, *quae Leonis senioris filia fuit* (*c*): Eckhelius etiam in sua numorum veterum Doctrina Ariadnes non agnoscit numos.

Non equidem is sum, qui tam acerbum Goltzio bellum indixerim, ut quorum numorum ipse se vadem praestat, his nullam penitus habeam fidem. Nam etsi plerumque verae sint dicae, quas eruditi, praesertim Eckhelius ei impingunt (*d*), non ideo tamen eae me impellunt, ut Goltzium in omnibus haud veridicum agnoscam. Sane multi eorum numorum, qui adulterini propter eum longo tempore habiti sunt, inventi postea ab aliis genuini. Quod praecipue evenit in numis Nolanorum, & Nucerinorum (*e*), ne dicam Cumaeorum, quorum numos ex gazis Medicea, & Caesarea non sine Goltzii laude idem Eckhelius (*f*) produxit, mi-

(*a*) Praest. Tom. 3. pag. 280. seqq.

(*b*) Ist. Ant. num. pag. 417. seqq.

(*c*) Epicris. p.23. seq. ex citat. Raschii in voce *Augusta*.

(*d*) Doctr. num. vet. Tom. 1. in prolegomenis p. 142. seqq.

(*e*) Mazoch. Tab. Her. in add. pag. 553.

(*f*) Num. vet. p. 25.

tiori tum animo erga auctorem illum, quem ipsum postea *impostorem* affirmat. Quare, etsi non dubitem, quin Goltzii, Vici, Stradae, Mediobarbi, & inter nostrates Majeri, & Parisii opera numis omnino falsis sint referta; tamen ex his solum illos inter fictitios sine ulla dubitatione inseram, qui [illegible] aliud proferant signum; de reliquis semper mihi restat dubitandi locus. Sic ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ numos Goltzianos ea potissimum ratione spuriis adjungo, quod cum Atella urbs cis Vulturnum sit, ex analogia aliorum numorum, signa eadem proferre deberet, ac Capua, Acerrae, aliaeque Campaniae cis Vulturnum urbes; quod jam observavit Vir Clarissimus, atque ut omnigena eruditione, sic his praecipue philologiae studiis ornatissimus FRANCISCVS DANIEL Regius Historiographus, Regiaeque Herculanensis Academiae a secretis (cujus erga me, studiaque mea tanta sunt merita, ut ea ne dicendo quidem assequi possem) in aurea sua *Numismatica Campana* (a). Cum vero in Goltzianis typi omnino diversi ab aliis urbium cis Vulturnum proponantur, fictitios esse per se quisque videt.

Certius quoque criterium ad horum numismatum νόθον, si qua est, deprehendendam, ipsorum cum aliis comparatio esse potest. Nam saepe numos misere deturpabant, saepe quorum solam descriptionem habuere, suomet ingenio effinxerunt; in quo ostendendo longior est

Ec-

(a) Pag. 50.

Eckhelius. Exemplum non antea, quod sciam, ab aliis observatum proferre hoc loco non piget. Legerat in Polluce Parisius, Anaxilaum Regem Rheginorum numos cudisse, qui ex una parte rhedam mularem proferrent, leporem ex altera. Hinc certe occasio ei data fingendi numum, in quo ex una parte bigas apposuit, ex altera leporem adjecta epigraphe PHΓΙΝΟΣ (*a*). Immane quantum a veris numismatis figuris aberravit! qui non bigas, sed rhedam uno mulo tractam profert, & Anaxilaum non stantem in ea, ut ille finxit, sed assidentem; epigrapheque characteribus vetustis, & retrogradis RECINON effingitur. Talem edidit Eckhelius (*b*) ex Museo illo ditissimo atque per totam Europam celeberrimo Exc. atque Ill. Comitis a Vitzai, quem nominare laudare est. Talem quoque insignis elegantiae penes humanissimum Virum MICHAELEM CALCAGNVM Ordinis Constantiniani Equitem, ejus erga me benevolentia, & amicitia, contemplari licuit, cujus ectypon, quoniam benignissime ab eo annuitur, alibi, Deo juvante, inseram. Sint haec igitur criteria, quae ad suspectos hos numos dignoscendos viam aperiant, omnem expellendo anteoccupationem, quae cum studiis omnibus, tum praesertim huic officit. Nam quos numos non genuinos hi auctores proferent, hos semper alium [illegible] characterem habere comperies, vel certis numariis re-

b 2 [illegible] ad gu-

(*a*) Magn. Graec. numism. Tab. 2.

(*b*) Doctr. num. vet. Tom. 1. pag. 177. seq.

gulis repugnando, vel a veri numi figuris, typisque abhorrendo.

Idem sentiendum etiam mihi de Goltziano Ariadnes numo videtur. Cum enim multa de eo dubitandi criteria adsint; patet, ipsum Goltzianorum figmentorum numerum augere. Quid enim aliud indicat typi anticae & posticae reticentia? Cur de eo accuratior non fit mentio? Cur denique Flavia Ariadne dicitur, quae id nomen nunquam assumsit, neque e genio numorum hujus Saeculi assumere potuit, ut infra clarius monstrabo? Haec numo illi fidem denegandam suadent, & non solum eum confictum arguunt, sed falsitatis etiam notam illis impingunt, quos Goltzius per haec tempora sic profert, ut solam anticae partis epigraphen prodeat, taceat reliqua. Id certe Viri illi prae oculis habuere, qui Goltzianum illum Ariadnes numum ne nauci quidem pendentes, Ariadnen in serie Augustarum numismatica non inseruere.

Sed inter alia cimelia, quae in dies terra prodit, non multis abhinc mensibus frustra usque adhuc conquisitum Ariadnes genuinum numum ostendit, qui delatus, uti jam dixi, in gazam Excell. Viri Fr. Avgvstini Gervasii Campani Archiepiscopi, mihi summa benignitate ab eo describendus concessus est. Est ipse aureus, solitaeque formae, cujus typos, epigraphemque jam mihi explananda proposui (*a*). CA-

(a) Difficile criterium est di- [illegible], quando hic sumus sic qu-

CAPUT III.

De anticae partis epigraphe.

Epigraphe numi anticae : AEL. ARIADNE. AVG. sic supplenda AELIA ARIADNE AVGVSTA. Ea tamen sic concipitur, ut de quoquo illius membro sint quaedam adnotanda.

I. AELIA. Aeliae nomen Ariadne praefert, nec sola Augustarum, quae illo exornetur (a). Ab hoc Aeliorum genere ortam Aeliam Verinam nostrae Ariadnes matrem, initio egomet tenui, cum a Joanne Glandorpio (b) Aelius quidam Verinus ex veteri Inscriptione proferatur. Hinc facilis reddi haec ratio potuisset, cur Ariadne Aelia hic vocaretur, quod scilicet hoc nomen ex matre tulisset, cum novum non sit, filios,

cusus. Verisimile tamen videtur cusus in Anastasii Imperio. Zenone enim regnante, inter tot bella civilia, vix ad numos Ariadnes cudendos cogitari potuit. Anastasius autem, qui ei debitor Imperii erat, credibile est illius memoriam grati animi ergo aeternitati in numis commendare voluisse.

(a) Plebeja gens Aelia fuit, immo inops ante Perseum regem devictum, prout habet Valer. Max. 44. Nobilitatem tamen, & originem ejus Lyricus Lib. 3. Od. 17. luculenter nos his docuit versibus:

Aeli vetusto nobilis ab Lamo &c.
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps, & innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim
Late Tyrannus.

(b) Onomast. hist. Roman. pag. 19.

lios, declinante Imperio, matris nomen obtinuisse. Quod & multi lapides conficiunt, & Gallae Placidiae exemplum, quae haec ambo nomina ex matre sua tulit.

Re autem ad trutinam revocata, vix hoc posse subsistere comperiemus. In tanta enim nominum Romanorum familiarum perturbatione, quanta vel post Antoninos inducta est, Aelii Verini nomen in hac familia retentum vix credibile. Insuper cum Verinae pater, frater, & ex fratre filius Basiliscus vocentur, alter frater Armatus, alterque fratris filius Marcus, satis patet, hos ex Aelia gente haud prodiisse, cum haec nomina Graecam, non Romanam originem redoleant; & eo longe ab Aelii Verini appellatione abhorreant, quo longe a silvis delphin, a fluctibus aper. Ipse immo Basiliscus Verinae frater in numis suis Aelius nunquam vocatur: nec Augustarum sola est Verina, quae id proferat in numis suis nomen. Ex his ergo clare conficitur, Aeliae appellationem nec Verinam Ariadne filiae suae dedisse, sed ab aliis potius accepisse (a). Ecqui hi sunt? Retro quippe Principes.

Cum vero Imperatores hujus aevi Aelii nunquam dicantur, ex Principibus feminis, Verina, ejusque dein filia Ariadne nomen hoc certe tulere. Augustas autem, quae Ae-

(a) Nec Ariadne a patre suo Leone tulit. Hoc ideo conficitur, quod hic nonnisi Thracia ortus sit origine. Quare nomen illud Romanum pernobile, & nunquam Graecis commune profecto non tulit.

Aeliae in numis suis appellantur, recenset accuratissimus Rasche in Lexico suo Rei numariae hoc ordine: *Eudocia*, *Eudoxia*, *Euphemia*, vel *Eufemia*, *Flaccilla*, *Pulcheria*, *Verina*, *Zenonis* (*a*); quas si ordine chronologico disponamus, praeibit Flaccilla, sequentur Eudocia, Pulcheria, Eudoxia, Verina, Zenonis, Euphemia. Prima ergo, quae hoc Aeliae nomen tulit, Flaccilla fuit Theodosii Magni uxor. Hanc vel ab ipsa denominatione ex Romano, eoque nobili stipite ortam patet: Flacci enim cognomen perillustre Romanorum fuit, multisque gentibus commune, quas recenset Glandorpius (*b*). Nil est igitur absurdi, quin Flaccillam numorum auctoritate ex Aelia gente ortam dicamus: cum enim ante eam nulla Augustarum Aelia vocata sit, certe nomen illud ex gente sua Flaccillam tulisse credendum est. Quod si de Aeliorum Flaccorum, vel Flaccillorum nominibus sileat Historia, id non mirandum, cum saepe e numis gentes scriptoribus Romanis prorsus ignotae eruantur. Cum vero Flaccilla virtutibus suis amorem Romanorum sibi conciliasset, nomen ejus veneratione a sequioribus Augustis, inter quas Ariadne, materque Verina, habitum, ideoque assumtum mihi verisimile fit. Quae explanatior, faciliorq. caussa mihi videtur hujus appellationis Augustis post Flaccillam tribu-

(a) Tom. 1. part. 1. pag. 121. voce *Aelia*.

(b) Onomast. histor. Roman. pag. 531.

butae. Ne vero temere id dictum putetur, plura hic afferre exempla non piget posteriorum Augustorum, qui anteriorum nomina avide expetierint, atque assumserint.

Et in ipsis quidem Imperii primordiis Caesaris Augusti nomen Monarchiae fundatoris proprium, jure quodam adoptionis (a), & veluti hereditarium (b) omnes Romanorum Imperatores assumsere, & adhuc assumunt. Luculentius etiam exemplum est M. Aurelii Antonini Philosophi, cujus memoriae tantam Romani venerationem professi sunt, ut ejus successores MARCI AVRELII, & ANTONINI nomina frequentissime assumserint. Et quidem Septimius Severus Bassiani filii sui nomen vulgo Caracallae, in M. Aurelium Antoninum mutavit; cumque haud multo post Macrinus Caracallae interfector Augustus renunciatus esset, Diadumenianum filium Antoninum appellari voluit. Pari modo Soaemiadis ille filius Elagabalus sese hoc nomine exornavit. *Fuit quidem* (ut ad rem Lampridius ait (c)) *tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, ut qui de nomine non niteretur, mereri non videretur Imperium.* Sequentibus item temporibus Claudius Gotthicus, ejusq. successores ad Magnum usque Constantinum, M. AVRELII nomen, vel illa tempestate Populo Romano gratissimum assumsere. Neque hoc tantum in his M. Au-

re-

(a) LAMPRID. in Alex.
(b) SVETON. in Tib. cap. 26.
(c) In Diadumeniano cap. 6.

relii, & Antonini nominibus evenit. Ipse Septimius Severus *Pertinacem se appellari voluit in honorem ejus Pertinacis; qui a Juliano fuerat occisus*, Eutropio teste (*a*), cui numi quoque assentiunt. Cumque primus, qui Christianam Religionem complexus est, Constantinus e Flavia esset gente, omnes insequentes Augusti Flavii nomine sese postea exornavere. Immo ipsi Langobardi Italiam dire mediis saeculis depopulantes tanto Constantini memoriam honore prosecuti sunt, ut tertius eorum Rex Autaris Flavii nomen assumserit; illudque successoribus quoque suis captandum demandarit (*b*).

De ejusdem autem Constantini nominis veneratione specimen longe pulcherrimum exhibent Nepotiani Tyranni numi, de quibus nonnulla, nec inopportuno loco, me addere patientissimus lector non inique feret. Hic post mortem Constantis in Romanum Imperium invasit, cujus vitam strictim sic Eutropius describit (*c*): *Romae quoque tumultus fuit, Nepotiano Constantini sororis filio per gladiatoriam manum Imperium invadente, qui saevis exordiis dignum exitum nactus est. Vicesimo enim atque octavo die a Magnentianis ducibus oppressus poenas dedit; caputque ejus pilo per urbem circumlatum est: gravissimaeque proscriptiones, & nobi-*

C lium

(a) Lib. 8. cap. 18.
(b) Jornand. de gestis Langobardor. lib. 3. cap. 6.
(c) Lib. 10. cap. 11.

lium caedes fuerunt. Hujus Tyranni, quem perperam Victor Potentianum vocat, nomen fuit Popilius Nepotianus. Sed cum postea Populi Romani amorem sibi conciliare permaxime studeret, se Nepotianum Constantinum vocari voluit; quod, historicis silentibus, numi ejus conficiunt; qui, Tristano teste, eum Constantini nomine exornant. Hac Tristani auctoritate permotus Anselmus Bandurius (*a*), & post eum Pellerinius (*b*) in adroso numo inscripto: FL. NEPO . . . ANTINVS. AVG. ἐπιγραφὴν sic supplevere: FL*avius* NEPO*tianus* Con*st*ANTINVS AVG*ustus*. Anno denique 1775. e Museo Ill. Comitis a Vitzai numum Nepotiani integra epigraphe FL. NEP. CONSTANTINVS. AVG. gaudentem protraxit Eckhelius, quem non immerito *singulare monumentum* appellat (*c*). Quartus his accedit rarissimus, & integerrimus ex meo museolo numus, qui ab editis nonnihil differt posticae imi litterarum ergo, quae MTA sunt; non ut in Banduriano nullae, neque RS ut in Vitzaiano; addito insuper in area numi astro, cujus nec vola, nec vestigium in Banduriano, multoque minus in Vitzaiano superest. Horum quidem numorum editores Nepotianum Constantinum ideo appellatum sensisse videntur, quod Eutropiae Constantini [illegible] fo-[illegible]

(a) Tom. 2. pag. 397.

(b) Melange. Tom. 1. pag. 216.

(c) Num. vet. Tab. 17. num. 8. pag. 316.

ſororis filius fuiſſet. Sed cum nulla ſit ratio cur cognatus cognati nomen obtineat, & non ſemper, ſed extremis tantum Imperii temporibus illud aſſumſerit Nepotianus; credibile potius eſt, cum non ob cognationem ſe Conſtantinum vocaſſe, ſed ut abhorrentis a ſe Romani Populi amorem conciliaret illius nominis reverentia. Et quidem nemo magis quam ille hac benevolentia egebat, qui *fœris exordiis, & per gladiatoriam manum* Imperium invaſerat, ut ſupra loquentem Eutropium audivimus, vel ut clarius Juliani panegyriſta Mamertinus affirmat *per infeſtos gladios, præſenteſque mortes* (a). Eadem ac Nepotianus cauſſa motus in Imperio Byzantino Alexius Angelus Comneni nomen aſſumſit illa tempeſtate ob Alexii Comneni memoriam Græcis gratiſſimum, ita ut adhuc in faſtis Alexius Angelus Comnenus dicatur. Eademque, ni fallor, cauſſa Verina ac Ariadne noſtra, aliæque hujus aevi Auguſtæ ob Aeliae Flaccillae memoriam Aeliae vocabantur.

Difficile vero non eſt hinc quoque Goltziani numi Ariadnes *ritus* deprehendere, cum Flavia ibi Ariadne vocetur, quod communi hujus aetatis uſui repugnat. Nulla enim Auguſtarum hujus aevi in numis eo nomine, quod ſciam, exornatur; omnes autem quotquot in numis occurrunt a Flaccilla ad uſque Ariadnen Aeliae dicun-

C 2 tur,

(a) Panegyr. ad Julian. Auguſt. cap. 14.

tur, si excipias Theodosii filiam Gallam Placidiam, Liciniamque Eudoxiam, quae nec Aeliae, nec Flaviae appellantur. Reliquae vero Flaccilla puta, Eudoxia, Pulcheria, Verina, Zenonis, Ariadne constantissima lege transmissum sibi ab Aelia Flaccilla Aeliae nomen retinent. Quare non minus aberravit Goltzius, cum Ariadnes numi epigraphen finxit Flavia appellatione insignem, quam cum nobis obtrudere voluit fictitiam quoque illam Mariae Honorii uxoris numi epigraphen FL. MARIA AVG. Sed jam de Aeliae appellatione satis.

II. ARIADNE. In hoc nomine scribendo discrepant historiae Byzantinae auctores. Candidi Isauri excerpta, Procopius in bello Vandalico, Chronici Paschalis auctor, Cedrenus, &c. Ἀριάδνην scribunt. Alii vero, in converso Ἀρεάδνην. Sic e.c. Nicephorus in Chronographia Augustarum indicem retexens de nostra haec habet: ΑΡΕΑΔΝΗ ΖΗΝΩΝΟΣ. Sic quoque scribit Theophanes, aliique. Litem vero de hujus nominis orthographia adhuc sub judice esse non licet asserere, numo hoc nostro jurgium quodque dirimente (a).

III. AV-

(a) Quanto sint adjumento numi, lapidesque veteri orthographiae solide ostendit Spanhemius in dissertatione secunda. Et dolendum quidem, hos tam parvi ab aliquibus pendi, ut, contra iis reclamantibus, orthographiam sibimet ipsi fingant, quam quisque vult, non quam velle deberet. Ex his vero numi ipsis lapidibus praeponendi, cum in lapidibus obvia sint tertio quoque verbo lapicidarum σφάλματα, a quo vitio nec lapides ipsi publici expertes sunt. At contra quae orthographiae puritas sit in numis, illum tantum praeteribit, qui haec studia intentata relinque-

III. AVGVSTA. Hoc eodem dignitatis vocabulo Ariadne nostra exornatur in Chronico Paschali; aliter vero ab aliis auctoribus vocatur. Idemque Chronici Paschalis auctor paullo ante eam τὴν βασίλισσαν Ἀριάδνην vocavit, & haud multo post τὴν Αὐγούσταν τὴν Ἀριάδνην. Theophanes eam quoque vocat τὴν Βασιλίσσαν, alioque loco τὴν Βασιλίδα. Has vero denominationes, quoniam sic fert occasio, paucis expendere precium est operae. [illegible]

Et primum, quod ad Augustae appellationem attinet, non uno nomine eam sibi vindicat Ariadne, cum filia Leonis Magni fuisset, Zenonis, & Anastasii uxor, Leonis Junioris mater, qui omnes Augusti dignitatem obtinuere. In compertis autem est, non uxores tantum, sed & matres Augustorum, & filias, immo & avias, ne dicam sorores, sororumque filias Augustas vocatas fuisse (a). Quare cum Plinius

liquerit. Quod non mirum, cum summa cura numi a veteribus procuderentur, nobilissimique Romanorum IIIViri eligerentur, non alia caussa, nisi Auro, Argento, Aere Flando, Feriundo. Haec vero, quae dixi, nonnisi de bonae aetatis numis intelliges, iisque, qui Romae cusi sunt; nam ii, qui in Coloniis cudebantur, etsi latini, mendis tamen non carent, cum tum primum iis in urbibus latine loqueretur.

(a) Sic matres Antonia minor Claudii, Soaemias Elagabali, Mammaea Severi, Victoria Victorini Senioris; Filiae Julia Augusti, Claudia Poppaea Neronis, Domitilla Vespasiani, Julia Sabina Titi, Didia Clara Juliani: Aviae Maesa Alexandri, & Elagabali: Sorores Drusilla & Julia Caligulae, Marciana Trajani: Sororum filiae ut Matidia Marcianae sororis Trajani filia. Vides me hic recensere inter Augustas quoque Victoriam, vel Victorinam Victorini matrem, cujus Strada, quam suspectus testis! numos protulit, hosque [illegible] non absolverunt Bandurius, aliique. His tamen Victoriae numis fidem praestare non ambigit Cl. Eckhelius T. 7. pag. 434.

Ve-

nius hoc *matrimonii nomen* appellat (*a*), id non dixiſſe credendum eſt, ut ſolae Auguſtorum uxores eo ornarentur. Hanc appellationem a Senatu feminis Principibus aliquando datam invenimus (*b*); aliquando ab Imperatoribus (*c*). A quo vero, & quando conceſſa fuit Ariadne, non liquet.

Quantum vero nomina illa [illegible], & [illegible] a Romani Imperii conſtitutione abhorreant, ille profecto non norit, qui ipſam illius Imperii conſtitutionem ignorat. Romani enim Auguſti etſi Principes, non tamen Reges, vel domini erant, cum poteſtas ſumma apud Senatum, Populumque permaneret. Unus Suetonii locus mire hanc conſtitutionem Imperii Romani illuſtrat, qui de Caligula ſic loquitur (*d*): *nec multum abfuit, quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque Principatus in Regni formam converteret*. Vides hic Romanum Imperium nonniſi a diligentiſſimo illo hiſtoriarum ſcriptore Principatus ſpeciem definiri, quae a Regio tam diſta-

ret

Vereor tamen, ut Cl. Beauvais, quem citat, deceptus fuerit ſubjecta falſarii manu. Potiori jure huc revocarem inſignem aureum numum, quem ex Muſeo Caeſareo Vindobonenſi protulit Khellius in Suppl. ad Vaill. pag. 196. Hic habet duo jugata capita in antica cum epigraphe IMP. VICTORINVS. PIVS. AVG. in poſtica vero VICTORIA. AVG. cum protome muliebri lauream ſuſtinente. Singularem eſſe hunc typum Khellius profitetur. Sed quid aliud per illum indicari potuit, niſi Victoria ipſa Auguſta, quae nominis affinitate Deae Victoriae ſymbola proferret? Trebellius quidem Victoriae numos aureos, argenteos, & aereos agnoſcit, *quorum*, addit, *hodiedum forma extat apud Treviros*. In Tyr. XXX.

(a) Lib. 13. cap. 30.

(b) Plin. Paneg. cap. 84.

(c) Sveton. in Domit. cap. 3.

(d) In Calig. cap. 22.

ret, ut novitatis Caligulam insimulet, quod diadema sumere cogitasset, illamque in Regni formam convertere. Quare quid de lege illa Regia, quam Tribonianus ex Ulpiani ore recitat, quaque Populus Principi, & in Principem omne suum imperium, & potestatem contulisse dicitur, sit sentiendum, tumet ipse conspicis (*a*). Et sane dolendum, haec Triboniani verba fucum fecisse Clarissimo inter politiores Jurisconsultos Ulrico Hubero, qui magno eruditionis apparatu, sed nonnisi verba vaga Scriptorum hariolans, non res, & facta persequens, legem hanc Regiam extitisse, toticsque repetitam contendit, quoties novus Augustus creatus est (*b*). Abunde vero de Romanorum Principum potestate, deque lege hac Regia egere Cll. VV. Martinus Schoockius in dissertatione *de quadruplici lege Regia*, quae prodiit Francofurti A.D. 1668. in 12., Jo. Vincentius Gravina in opella de Romano Imperio, Beaufortius, aliique. Id vero non praetereundum, Romanorum adulatione factum, ut hi tituli, qui Imperatoribus non conveniebant, etiam in numis iis darentur. Sic e.c. DOMINVS NOSTER, DOMINVS ET DEVS. NATVS RECTOR ORBIS &c., & magis magisque deficiente libertatis appetitu, atque Imperio Byzantium translato, Βασιλεὺς quoque, Δεσπότης &c. Quae nomina boni plerumque Principes as-

(*a*) L. 1. ff. de Constit. principum. Hancce Regiam legem studiose non uno loco repetit Imperator §. 6. Inst. de jur. nat. &c. §. 7. C. de vet. jur. enucl.

(*b*) Digress. lib. 1. cap. 16. seqq.

assumere noluere. Domitianus quippe, qui *libidinis, iracundiae, crudelitatis, avaritiae tantum in se odium concitavit, ut merita & patris & fratris aboleret.... Deum se, & Dominum primus appellari jussit*, Eutropio teste (*a*), & Diocletianus *primus Regiae consuetudinis formam magis, quam Romanae libertatis invexit* (*b*). Augustae autem maritorum exemplo βασιλισσαι, & δεσποιναι etiam in numis tum appellari coepere. Sic Zoë: COnSTAnTInOS CE ΞOH BASILIS ROMEOn, & Theodora ΘΕΟΔΟΡΑ ΔESPVNA. Hunc vero titulum ab Augusto conferri, Zonarae auctoritas evincit (*c*).

C A P V T III.

De anticae partis typo

Anticae partis typus caput ipsius Augustae profert, & quidem dextrorsum conversae, ni protomen potius dixeris, cum ad pectus usque appareat. Diademate insignitur, quod duplici baccarum filo constat, praegrandemque in fronte unionem profert. Capilli, qui passim plurimis baccarum filis exornantur, a fronte ad occiput decussatim intersecti perducuntur. Diademati insistunt bini

(a) Breviar. lib. 7. cap. 23.
(b) Evtrop. lib. 9. cap. 26.
(c) Ann. lib. 17. cap. 21.

bini unionum ordines, majoribus unus, alter minoribus constans. Inauribus etiam, gemmatoque monili ornatur, pectusque paludamento induitur, quod vestimentum e spinthere dextro humero alligato facile dignoscitur.

Quod ad diadema, hoc Regiae dignitatis insigne Romanis non defuit Regibus, qui in numis consularibus eo exornantur. Stante vero Republica odio habitum fuit, adeo ut Antonius, cum illud Caesaris capiti imponere conatus esset; nonnisi gemitibus, ac imprecationibus frequentis Populi exceptus fuerit. De hoc confer Cl. Eckhelium (*a*). Quamquam autem Caligula illud assumere cogitasset (*b*), assumsissetque Aurelianus (*c*), sub Constantino Magno tamen vulgare evasit gestamen Augustorum non solum, sed Augustarum quoque. Et quidem, uti jam observavit Eckhelius (*d*) ex Philostorgio (*e*), Constantinus Constantinae filiae suae diadematis gerendi potestatem fecit. Id quod in laurea non accidit, cum nulla pene Augustarum lauream proferat coronam (*f*). Notandum tamen, simplicem illam diadematis formam, quae a fascia non discrepabat, ab Augustis longe mutatam, gemmisque refertam fuisse.

d Inan-

(a) Doctrina num. vet. Tom. 6. pag. 84.

(b) Sveton. in Calig. c. 22.

(c) Victor. Epit. cap. 35.

(d) Doctr. num. vet. Tom. 8. pag. 364.

(e) Lib. 3. cap. 22.

(f) Est tamen Sabina in numo argenteo Musei Caesarei, quae lauro redimitur. Vide Eckhel. Cat. ejusd. Musei Tom. 2. pag. 193.

Inauribus Augusta in hoc numismate ornatur. Nescio, an de his antiquior ulla mentio alibi occurrat, quam in Exodo (a). Ex quibus verbis colligimus apud Hebraeos inaurium usum viris cum mulieribus commune fuisse. Et sane testatur Plinius (b): *In Oriente quidem, & viris aurum gestare eo loci* (i. e. in auribus) *decus existimatur*. Ad quae recte revocat Harduinus illa Juvenalis (c):

Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphratem? molles quod in aure fenestrae
Arguerint . . .

Graecos iis usos, numi eorum indubium testimonium sunt, qui inaures muliebribus capitibus, quae proferunt, apponunt. Romae idem obtinuisse, numi quoque testantur, variique ex veteribus. Hoc quippe studium Juvenalis expressit (d):

Nil non permittit mulier sibi; turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, atque
Auribus extensis magnos committit elenchos.

Et idem Plinius (e): *nec in alia parte feminis majus impendium, margaritis dependentibus*. Augustae superioris aevi nunquam in numis inauribus exornantur: translato vero Byzantium Imperio, iis saepissime utuntur.

Torquium item usus & apud Graecos, Romanosque ob-

(a) Cap. 32. vers. 2.
(b) Hist. nat. lib 11. cap 50.
(c) Satyr. 1. vers. 103.
(d) Satyr. 6. vers. 457.
(e) Loc. cit.

obtinuit, & apud barbaros quoque; quod clare conficit Galli illius exemplum, cui victo Manlius torquem aureum detraxit, ex quo ei, gentique suae factum Torquati nomen (a). Graeci &, stante Republica, Romani etiam numi torques saepissime proferunt. Augustae prioris aevi ejus generis ornamento in numis (quod sciam) non gaudent; at Byzantinae Principes eo exornantur.

Capilli ab Augustorum uxoribus summa quoque cura, studioque culti sunt. Immo tam varii sunt horum capitum cultus, ut non mirum sit, Ovidium talia dixisse (b):

Sed neque ramosa numerabis in ilice frondes,
Nec quot apes Hybla, nec quot in Alpe ferae,
Nec mihi tot cultus numero comprendere fas est;
Adjicit ornatis proxima quaeque dies.

Hinc saepe ad ipsos Augustarum numos dignoscendos ipsarum spectasse capillos sat est, cum varium unaquaeque proferat cultum. Jam vero irrepente barbarie, tot varii capitum cultus omissi sunt, eumdemque constanter pene servant, quem in hocce Ariadnes cernimus. Gemmis tantum capita onusta conspiciuntur, quibus anteriores Augustae carent; id quod, Imperio in Orientem translato, ubi obvii ii sunt lapides, non mirum. Et quidem vel sub Galerio Romani gemmas non tanti fa-

d 2

(a) Liv. lib. 7. cap. 6. (b) De art. am. lib. 3.

faciebant, quanti posteriori aevo factae sunt. Exemplum sit militis illius, qui, Galerio duce, contra Persas pugnans, cum saccum gemmis onustum invenisset, gemmas abjecit, sacco se tantum opus habere caussatus.

Paludamentum vero, quod profert Ariadne, vestis nota, & propria Imperatoris fuit. Quod vestimenti genus Romanos a Tuscis accepisse, Florus nobis est auctor, quando Tarquinius Priscus *duodecim Tusciae populos frequentibus armis subegit* (a). Cum vero Augusti ceteris suis honoribus Imperatoris quoque munus adjungerent, paludamentum semper retinuerunt. Mox vestis haec ad uxores eorum translata quoque est. Et quidem Plinius testatur, se Agrippinam Claudii uxorem conspexisse, cum ipse ederet navales ludos, ei assidentem indutam paludamento *ex auro textili sine alia materia* (b). Quod testimonium miram ex hoc Ariadnes numo lucem acquirit, in quo non solita stola Augusta exornatur, sed paludamento, ut cuique ex fibula patebit, quae illud dextro humero alligat. Hic idem numus opponi potest Cl. Liebeo afferenti (c): *neque paludamentum figurae muliebri congruit, tametsi Plinius testatur, se vidisse Agrippinam Claudii Principis, edente eo navalis praelii spectaculum, assidentem ei indutam paludamento*. Etsi enim in Aemiliani numo, quem il- [illegible] le

(a) Lib. 1. cap. 6.
(b) Lib. 28. cap. 19.
(c) Goth. numar. pag. 294.

le illustrat, extra dubitationis aleam, Salutis figura male pro stolata paludata ab aliis descripta fuerit, non ideo tamen Plinii auctoritas, cui integerrimus numus noster suffragatur, ne minimum quidem minuitur. Eodem item paludamento in Khelliano numismate mater Ariadnes nostrae Verina exornatur (a).

C A P V T IIII.

De posticae partis epigraphe.

NOnnulla quoque de posticae partis epigraphè, & praesertim de famigerata illa sigla CONOB, sunt mihi adnotanda. Admirationem affert primo aspectu Victoria Principi feminae conjuncta; auget miraculum trium Augustorum mentio: haec est enim epigraphe: VICTORIA AVGGG. B. Quod ad primum vix meliori aevo Victoriam Augustarum capitibus conjunctam invenies. Quod vero ad secundum Augusti nunquam tres aevo Ariadnes fuere; nam primum Leo solus, deinde Leo Junior cum patre Zenone, Anastasius postremo solus, ipsa vivente, Imperium obtinuere.

Parcendum saeculorum barbariei, & monetariorum imperitiae, qui Graeculi homines latinae linguae ignari pro

(a) Subpl. ad Vaill. pag. 293.

pro lubitu illud G. augebant: vel si id minus arrideat, cum novos posticarum typos suo marte effingere non possent, superiorum Imperatorum posticas posteriorum anticis aptabant. Hinc quae monstra non orta? quae non commixta? Et sane haec αινιγματα dissolvi non possunt, nisi ad monetariorum imperitiam animum advertamus. Quî enim eadem epigraphe Marciano, Maximo, Avito, Seniori Leoni, Majoriano, Libio Severo, Glicerio, Zenoni, ceteris convenire potest, qui vel soli, vel cum uno socio imperavere? Non sunt haec, meo periculo, nisi numulariorum officinatorum monetae σφαλματα.

Post epigraphen occurrit quoque littera solitaria B. Hanc litteram officinam monetariam indicare, Eckhelius credidit (a). Id vero mihi permirum fuit, ibi virum summum asserere, se I auctiorem vidisse non meminisse. Extant enim vel apud solum Mediobarbum aliae multae litterae ejusmodi epigraphe conjunctae, & quidem I auctiores. Sic K in numis Majoriani, M in numis Valentiniani Senioris, Libii Severi, N in numis Majoriani, Justini Junioris, Heraclii, O in numis Theodeberti, P in numis Majoriani, Zenonis, Heraclii, R in numis Joannis, Valentiniani Senioris, Majoriani, Libii Severi, Glicerii, Zenonis, Theodeberti, V in numis Joannis, Valentiniani Senioris, Majoriani, Libii Severi, Glicerii, Zenonis, & ne alium, nisi eum ipsum contra eum citem, nonne litte-

(a) Doctr. num. vet. Tom. 8. pag. 525.

tera O occurrit in numo Valentiniani Senioris in Catalogo Musei Vindobonensis, quem ipse conscripsit? Nonne ipse eodem loco profert K in numis Valentiniani Junioris, O in numis Arcadii, N in numis Zenonis, V in numis Justini I., &c? Hinc quo pacto se I auctiorem vidisse non meminisse dixerit, equidem non agnosco.

Ex hoc autem errore ille nec minus absurdus manavit, per hasce litteras officinas monetarias indicari. Cum enim numi, qui has litteras proferunt, in imo monetariam officinam recitent, quid vitiosa haec sibi vult tautologia? Immo potius antilogia. Nam saepe alius est officinae monetariae in imo numerus, quam qui per has litteras designaretur. Id vero quodammodo consistere posset, si revera hae litterae I auctiores non essent, ut Eckhelius credidit; tum enim X. officinae monetariae Constantinopoli fuissent. Sed cum quoque V vel Y numeralis sigla compareat, anne dicamus CCCC. monetariam officinam in hujusmodi numis commemorari?

Cum vero Davus sim, non Oedipus, qui haec assequi possim; potius per has litteras cuneorum numerum indicari mihi persuadeo; quamvis haec nonnisi infirma est conjectura argumentis omnibus destituta. Sed quis arcana monetariarum officinarum perscrutabitur, iis carens praesertim veterum monumentis, quae damnosam imminuisse diem dolemus? Nam

Quid non longa dies, quid non consumitis, anni? (a)

Cum

(a) Mart. lib. 9. epigr. 50. vers. pen.

Cum vero in imo nostri numismatis occurrat quoque celeberrima illa sigla CONOB; addere hoc loco e re visum nostras in eamdem observationes.

Nihil adeo frequens in inferioris aevi numis, quam haec sigla ipsorum segmento inscripta. De cujus sensu tam variae sunt opiniones, ut eas omnes hic colligere non vacet; extantiores indicasse sat erit.

Iam inde a vetustioribus temporibus hanc litem sub judice fuisse, e Cedreno colligimus, qui hanc mirabilem prodit explicationem: K. [illegible] O. [illegible] N. [illegible] O. [illegible] B. [illegible], i. e. *Civitates omnes nostrae obediant venerationi* (a). Et jure cum Eckhelio miraberis, nec ipsis veteribus Harduinos defuisse. Ex recentioribus Antonius Augustinus, doctus ille Tarraconensis Episcopus, per has litteras indicari credidit CON*stantinopolitanum* OB*ryzum* (b). Cum eo sentit quoque Fulvius Vrsinus (c). In Philippi II. autem Pomeraniae ducis explicatione numi aurei Zenonis Isaurici hae litterae male pro CONOP. positae dicuntur, atque indicari per eas *barbaram Conem* Lucani, vel Canopum, ut ab aliis dicitur, insulam ad Danubii ostium positam, asseritur. Reinesius in epistola ad Rupertum contendit, siglam COMOB. (nam haec saepius, rarius in numis quoque CORNOB occurrit) indicare COM*item* OB*ryzi*. Menckhenius

(a) In Theod. M.
(b) Dial. 7. pag. m. 223.
(c) Ad Sueton. Ner. cap. 44.

.. CONOB legendum esse putat : CON*ſtantino* OB*latum*. Begerus perſpiciens has ſiglas in numis quoque Occidentalium Principum apponi, urbem quamdam requirendam cenſet in Occidente ſitam, e cujus officina ejuſmodi numismata prodierint. Harduinus varius fuit: nam prius hanc ſiglam reſolvit: CON*ſtantinopoli Officina* &c.; poſtea vero alio modo: *Corporati Omnes Narbonenſes* OB*tulere*. Hanc explicationem propoſitam invenies cum id genus allis in indice harum ſiglarum ab eo confecto, quem primo editum habemus in ultimis paginis operis Mediobarbi. Ex his cum ipſo Mediobarbo *auctoris ſeu judicium*, *ſeu inconſtantiam mirabere* (*a*). Ducangius in erudita diſſertatione de numis Imperatorum inferioris aevi eas legit: CON*ſtantinopoli* OB*ſignata* (*b*). Jobertus quoque parvo diſcrimine a Ducangio legi mavult: CON*ſtantinopoli Officina* B, i. e. *Secunda*. Triſtanus ſiglam COMOB quoque in numis obviam legit CON*ſtantinopoli Moneta* OB*ſignata* (*c*). Huic Triſtani ſententiae acceſſit quoque Hemelarius. Vaillantius in peculiari diſſertatione inſerta Hiſtoriae Academiae Inſcriptionum (*d*) hanc ſiglam indicare contendit: CON*ſlatum* OB*ryzum*. Eckhelius denique in diſſertatione de numis inferioris aevi inſerta parte VIII operis ſui (*e*) e ple-

(a) Pag. 590.
(b) Pag. 76. ſeq.
(c) Tom. 3. pag. 503.
(d) Tom. 1. pag. 263.
(e) Pag. 499. ſeqq.

plerisque harum opinionum refutatis, se nihil, quod proferat, habere ingenue testatur. Exemplum adducit ** NCAPR incusi Imperatorum numis, quae sigla quidnam indicet, ignoratur, cum in dies sub oculis occurrat. Ad Vaillantii tamen opinionem propius accedere videtur. Jam antea quoque nullam sententiam, quae de sigla hac circumferebatur sibi probari, Gallandus testatus erat (*a*).

En ergo alias, atque alias inter se oppositas opiniones, ut merito hic usurpes: *quot homines, tot sententiae*. Omnes refutare meum esset, ni id jam Eckhelius fecisset, & quidem tanta felicitate, ut earum incongruentiam statim quisque deprehendat (*b*). Quare, ut symbolam meam quoque dem, sententiam Cl. Ducangii, in quam pedibus eo, contra Eckhelii objectiones restituo; per has siglas nonnisi Constantinopolitanae urbis officinas monetarias indicari. Id ut assequar, Eckhelii prius objectionibus est mihi respondendum, dein argumenta ea annotanda, quae opinioni nostrae favent.

Negat Eckhelius, ** CON indicare posse Constantinopolim. Id his potissimum rationibus assequitur: I. numos Occidentalium Augustorum his siglis inscribi, II. numos Occidentalium quoque Tyrannorum, qui cum Orientalibus

(a) Mem. de Trevoux 1701. Septembr. pag. 274.

(b) Loc. cit.

libus Augustis bella gessere, iis ipsis insigniri. Quod ad primam doctissimi Viri objectionem, Ducangius jam antea mutui amoris ergo id factum dixerat. At id tum concedi posse, ait Eckhelius, cum sibi Orientalium Principum numi ostendantur inscripti ROM, ROMOB, vel simili sigla. Et quidem numos Orientalium Principum hac sigla ROMOB inscriptos ostendere diffido, cum hujusmodi sigla nunquam, quod sciam, Romana officina usa sit. Sed id clarissime ostendam, numos Orientalium Augustorum saepe in ipsa Roma cusos esse. Sic Valentis numisma signatum R*omae* in Officina TERTIA Mediobarbus profert (*a*), aliudque ejusdem Augusti R*omae* quoque signatum officina QVARTA (*b*); Arcadii quoque S*ignata* M*oneta* ROM*ae* apud eumdem Mediobarbum occurrit (*c*), & Tiberii numus ROM*ae* percussus non unus (*d*), Mauritii quoque alius eodem loco ROM*anam* quoque prodit officinam (*e*), aliusque Heraclii eodem segmento ROM ibidem recensetur (*f*). Ipsum vadem citabo Eckhelium, qui in Musei Caesarei Catalogo Valentis numos in PRIMA, SECVNDA, TERTIA, & QVARTA R*omana* officina signatos describit (*g*), necnon Mauritii quoque percussos ROM*ae* (*h*). Jamque dum haec scriberem, aereo Va-

 len-

(a) Pag. 507.
(b) Pag. 508.
(c) Pag. 523.
(d) Pag. 573.
(e) Pag. 579.
(f) Pag.
(g) Tom. 2. p. 510.
(h) L. c. pag. 540.

lentis Augusti numulo potitus sum cum consueto illius Augusti capite, atque in postica Victoriae typo solito, cum epigraphe SECVRITAS. REIPVBLICAE. Infra vero perspicue cernitur S.M. ROM. i. e. *Signata Moneta* ROM*ae*.

Mitto hic lubens aliorum Augustorum Orientalium numismata, quae SIS*ciae*, AR*elate*, AQV*ilejae* cusa sunt, aliisque urbibus Imperii Occidentalis. Sat id demonstrasse habeo, numos Orientalium Augustorum saepissime in ipsa Romanae urbis officina cusos. Quare nihil absurdi est, hinc capta analogia, asserere quoque Occidentalium Augustorum numos CON*stantinopoli* cusos esse, qui CONOB inscribuntur. Et, ni fallor, hoc idem sibi demonstrandum Eckhelius quaerebat, cum numos ROMOB inscriptos Orientalium Principum desiderari affirmabat. His quidem verbis numos Romana officina percussos intellexit; nam non ipse poterat siglam, qua officina subscriberetur, statuere, quae pro urbis, & officinae conditione varia erat.

Altera ejus, ut dixi, objectio fuit, numos Tyrannorum Occidentalium, qui cum Orientalibus Augustis bella quoque gessere, hac sigla CONOB inscribi. Exules ergo e Constantinopolitana Officina redigemus? Non quidem satisfacit Ducangii responsum; id eo factum, ut ii Imperii caput tenere viderentur: nam tum, ut bene ait Eckhelius, Romam potius inscripsissent. Id potius factum ajo ad similitudinem monetae per Imperium receptae;

ptae; quod de Tyrannis post Honorium nec ipse Eckhelius negare audet. Id quidem certum, quaequae sit caussa, *signatos* Constantinopoli horum quoque Occidentalium Tyrannorum numos, praeter eos, qui CONOB inscribuntur. Tales sunt Magni Maximi numi apud Mediobarbum (*a*) non Occidentalis Tyranni modo, sed qui acre quoque bellum cum Theodosio gessit, qui CON*stantinopoli* se signatos profitentur, quorum duos cum his segmentis DCON, TCON elapsis diebus meis oculis videre licuit. Tales Eugenii apud eumdem, qui e simili officina prodiere (*b*), atque similes ibidem Joviani (*c*), Sebastiani (*d*), & cet. Tenemus ergo numos horum Tyrannorum Constantinopoli signatos, & interroganti Eckhelio, quomodo id factum, reddi potest cum illis Comici versibus haec ratio:

.... *Isti quidem hercle orationi Oedipo*
Opus est conjectore, qui sphingi interpres fuit (*e*).

Conjecturam tamen meam breviter hic proponam. Numi, quorum in segmento officina monetaria recitatur, hi non ibi cusi esse videntur, sed potius eorum cunei ibi signati. Quare poterant alibi signari, alibi vero malleum subire. Hac ratione explicare possis horum Tyrannorum numos, qui Constantinopoli signari potuere, in Occidentem postea [illegible] de-

(a) Pag. 514.
(b) Pag. 520. seq.
(c) Pag. 531.
(d) Pag. 532.
(e) PLAVT. Poenul. Act. 1. sc. 3. v. 34. seq.

delati ibidem capitibus Tyrannorum, quibus junguntur, a malleatore aptari, praefertim cum, ut fupra quoque monui, hoc tempore unius Augufti poftica ad alterius anticam facile transferretur.

OB *officina fecunda* Jobertus. Sed an unquam τὸ *officina* per fingulare elementum indicatum fit, dubito. Potius in Ducangii fententiam eo, qui legit *Obfignatum* ex analogia aliarum fubfignationum TROB. TROBS. Incertum incerto explicari, Eckhelius inquit. Sed cum in permultis numis haec tria elementa OBS occurrant, an dubitari poteft, quin per ea indicetur *Obfignatum*? Dubitavit quidem Eckhelius, utrum Latini dixerint *obfignare numos*. Sed nonne perridiculum eft in tanta barbarie, quanta verfabatur in Imperio Romano, quibus temporibus cufi funt hujufmodi numi, latini fermonis elegantiam exquirere, idque in fubfignatoriis monetariorum notis?

Quidquid ergo contradicat Eckhelius, ejus momenta non tanti funt, ut de Conftantinopolitana officina vel minimum injicere dubium poffint. Sed ut firmior fententia haec in pofterum perftare poffit, tria potiffimum perpendenda funt: I. In imo numorum hujus aevi, nonnifi per figlas illas, quae ibidem confpiciuntur, monetarias officinas indicari; quod indubium eft, & nemo refragatur; quare, quomodo in CONOB figla aliud, ac monetaria officina indicari poffit, non video. II. Siglam CON in permultis numis inveniri, in quibus certe per eam CON*ftantinopolis* indicatur, ipfo agnofcente Eckhe-

khelio (a); hinc capta ab his analogia in numis his noſtris CONſtantinopolim quoque indicari oportet. III. Denique quidquid per ſiglam illam OB indicetur, eam ſiglam Monetariis officinis propriam eſſe, ac veluti formulam quamdam, qua eae indicarentur; ſic TROB. MDOB &c.; quare & hic de monetaria officina agi vel ſub oculos oſtenditur. Quod ſi officinam monetariam hic indicari per ſiglas CONOB conceditur, nullam aliam certe praeter Conſtantinopolim urbem inveniemus, cui tuto illud CON adſcribere poſſis.

Haec igitur momenta pro Conſtantinopolitana officina adeo fortiter ad hanc ſententiam impellunt, ut ex ea nonniſi coactus diſcedam. Atque haec de Conſtantinopolitana officina ſatis.

C A P V T V.

De poſticae partis typo.

IN poſtica conſpicitur Victoriae figura alata ſiniſtrorſum converſa, quae dextra manu oblongam ſuſtinet Crucem. In numi area ad dextram ſtella conſpicitur.

Victoria priſcorum Romanorum numen fuit ingenti Religione cultum, atque hinc perſaepe in illorum numis

(a) Tom. 8. pag. 519.

mis conspicitur, & quidem talis, qualem Varro descripsit, ceu Virgo scilicet alata, quae dextra manu lauream coronam, laeva palmam proferat. Alata quidem ob ejus inconstantiam. Laurea vero Phoebo primum, seu Apollini dicata arbor fuit. Nam

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores; quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Neptuno, populus celsa Herculi (a).

Postea Victoriae symbolum constans fuit habitum. Et pridem sane victoribus in ludis, non aliter ac palma, concessa est. De hac sic Horatius (b):

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Cur vero palma sit Victoriae signum, ex Plutarcho recitat Gellius (c): *Si super palmae, inquit* (Aristoteles) *arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas, oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec inflectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur, recurvaturque. Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam signum esse placuit Victoriae; quoniam ingenium* [illegible] *nium*

(a) Phaedr. lib. 3. fab. 15.
(b) Lib. 1. Od. 1.
(c) Noct. Att. lib. 3. cap. 6.

nium hujusmodi ligni est, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat.

Quoniam vero, Tertulliano teste, quid scrupuli inhaerebat Christianis militibus coronam lauream ferendi, ideo, Christiana religione admissa, consuetum laureae gestamen sensim desuevit & in Principum capitibus, & in Victoriae dextera. In illorum quippe capite successit diadema, atque in Victoriae dextera Crucis Sacrosanctum signum, ut in quo signo se vincere Christiani Principes profitebantur, eo ipso Victoria exornaretur. Quare id manifeste ad Crucis mirabilem apparitionem refertur, de qua pete Eusebium, aliosque historiae Ecclesiasticae Scriptores veteres.

De stella vero in area numi nil habeo, quod addam, nisi officinae monetariae forsan signum esse, vel aliud, quod non facile assequi possumus.

FINIS OPVSCVLI.